

Q. D. B. V.

DISPUTATIO PHILOSOPHICA,
THEOREMATA
NONNULLA, TAM THEO-
RETICA QUAM PRACTI-
CA, EXHIBENS;

Quam

DEO BENIGNE JUVANTE,

Censente & Consentiente Ampliff. Facult. Phil.

In Regia Academia Aboënsi,

PRÆSIDE

Plurimum Reverendo & Praclarissimo

DN. M. MARTINO MILTOPÆO,

Regiæ ejusdem Universitatis p. t. RECTORE MAGNIFICO,

ut & Eloq. Professore publico, Fautore & Pro-

motore ut optimo, ita debito honoris observan-
tiæq; cultu ætatem prosequendo,

*Liberalis Exercitij gratiâ publico Eruditorum
examine modeste sistit*

LAURENTIUS B. KIELLINUS

S. R. M. A.

Ad diem x. Cal. Julij, in Audit. Max. horis solitis.

ANNO M DC LXXII.

A B O Æ,

Excusa à PETRO HANSONIO, Acad. Typog.

SAC. REG. MAJ.
REGNIq; SVEO, GOTHICI
SENATORI MAGNO,
PERILLUSTRI ET EXCELLENTISSIMO
HEROI AC DOMINO,

DN. LAURENTIO Creutz.

*LIBERO BARONI DE Casaritz / DOMINO
DE Garfwelax / Abbersfors / Siuxala / Garis / &c.
REGII JUDICII, QUOD IN MAGNO DU-
CATU FINLANDIÆ EST, CONSILIARIO
PRIMARIO, UT ET BOTHNIÆ OCCIDEN-
TALIS JUDICI TERRITORIALI GRAVISSIMO;
MUSARUM PATRONO MAXIMO, ET DOMI-
NO MEO BENIGNISSIMO:*

Exercitium hocce Academicum hu-
milimâ mente inscribo & offero:

ILLUSTRISSIME HEROS,
DOMINE BENIGNISSIME.

Solenne fuit & Viris Eruditione eximiis, & quibuscunq; bonarum artium cultoribus sedulis, ut illustrem aliquem sibi prospicerent Patronum, cujus sub umbone potenti, tranquillo illis frui otio liceret. Mibi vero, quod Deo acceptum referam, tanta in hoc contigit felicitas, ut tantum Patronum nec sollicitè ambirem, nec multis, ut dicitur, congiariis emerem. Ipsa scilicet mirabilis illa, quæ totum Excell. Tuæ Illustrissimum occupat animum, gratiæ vis, non illos modo, à quibus ortum traho, multis jam annis clementer fovit, verum etiam, quod alios in admirationem rapit, exilem me dudum & compellavit, & illustravit. Nempe id Illustris est natura, ut Solis instar, non vicina tantum, sed insimam quoq; telluris glebam, gratissimo collustret lumine. Præstat id, si quisquam, Illust. V. Excell. quæ longè lateq; clementiæ suæ diffundit radios, & inferioris sortis homines ipsæ cum primis fovet. Quam si verbis pararem efferre gratiam, Rei sane obruerer pondere. Nec est, ut singula recenscam, quorum nihilominus memoria apud me immortalis erit. Quid ergo pro tantis beneficiis V. Ex. meritò reddam? Quid? præter meipsum, utinam ne id vile quidem, & preces ad Deum pro V. Ex. incolumitate creberrimas. Trado igitur V. Excel. (aliud enim tantæ non retribui potest gratia) meipsum in perpetuam clientelam: Trado, pro beneficio magno, viles hæc studiorum meorum primitias, devotum sc. animi gratissimi pignus. Quod, si ardua inter Regni negotia occupatissimo V. Ex. animo hora non contigerit vacans, ut benigne respiciat, sereno tamen vultu, nutu faventiore suscipiat, submisse oro. Et benevolentiae Illustris favonium, uti hætenus Parentibus meis aspiraverat, ita quoq; eodem clementer me dignari, gloriosum existimet. Deus qui V. Excell. hanc prestitit gratiam, ut singulari cum sapientiæ prudentiæq; acumine tam arduam muneris provinciam sustinere possit, is quoq; V. Ex. cum tota Illustrissima familia quam diutissimè percennare, & Reip. bono superesse faxit. Vive itaq; Ecclesiæ Decus, & Reip. columna! Optime vale Illustre virtutis promovendæ organon! Sic voveo, sic opto, ubicunq; superstes fuero

ILLUST. VEST. EXCELL.

Cliens devotissimus
Laur. Kiellinus

Delum sacratissimam illam, multo ævo fluitantem, adeoq; toto Orbe plane incognitam insulam, felici *Apollinis* enixu firmam stetit, fixamq; Vates olim perhibuerunt clarissimi. Obregentes scilicet aureo involucro, Terram, aliàs utcuq; felicem, attamen artibus liberalibus destitutam, fluxam esse atq; caducam, imò, nullam. Unas autem esse literas, quarum beneficio, vel *Seneca teste*, non errantes modo mentes humanæ, verum etiam his subjecta, Regionès puta atq; imperia, reguntur ac geruntur. Hæ namq; *Amphionis & Orphæi Citharam sonant*, quibus Resp. constituuntur, constitutæ stabiluntur, stabilitæ florent. Prudentiam pariunt Politicam, à qua sunt leges, Tribunalia, judicia, quibus, ceu validis nervis, societas civilis astricta cintaq; non dissolvitur, sed stabilis permanet. *Scepterũ Jovis sunt*, quæ feroces emolliunt mores, ut canit *Poëta Sulmonensis*. Rectè itaq; hunc in sensum Imperator quidam, dum, si alterutro carendum esset, malle se regno, quam literis carere, prodidit. Hinc est, quod *Latij*, Virum scientijs liberalibus probe imbutum, in se ipso teretem atq; rotundum; *Græci* vero Illustri quadam venustaq; metaphorâ, *Τελεεινωρον*, id est, hominem ex sese firmum, suis pollentem viribus, & undiquaq; adeo virtutis præsidio fultum, adeo firmo, inconfussoq; innitentem talo, ut vix, ac ne vix quidem loco cedat, appellarunt. Verum, quod usq; adeo conquirendum, antequam tantarum Rerum Dominus, *intellectus*, ad hoc tale perveniat fastigium, multis sit expositus perturbationibus. Non secus ac præclare id *divinus ille Plato* expressit, dum plus *voluntati* quam *intellectui* tribuit imperij, rationem scilicet in angustum captis angulum relegando, iram in pectore, concupiscentiam in inferioribus collocando. Adversus quas geminas copias, affectuum puta, quantum valeat Ratio, communis hominum vita satis superq; declarat, cum illa, quod unicum licet, vel ad ravim usq; reclamat, & honestè dicat formulas; Hi vero inqueum Regi sæpius remittant, multoq; obscurè punct odiosus, donec jam is quoq; fessus ultro cedat, & manus dedat. Quia tamen *intellectus* non tam ad errorem facilis est, quam *voluntas*, ideoq; *artibus liberalibus* maxime imbuendus, ut virtutis desiderio accensus, affectuum insolentiam & rebellionem plenius compescat. Hoc mecum pensitans, æquum duxi, ut aliquid ingenio mei, non specimen quidem, sed Tyrocinium in publicam lucem darem, quo exercitio, non solum quid ingenii mei nervi valerent, sed etiam hoc pæctio viderem quousq; illos ulterius intenderem. Addidit scilicet ad hoc calcet mihi, quorundam & decantanda diligentia, & detestanda negligentia. Quare etiam paucula hæc, pro ratione & temporis & infirmitatis, selegi, in quibus si quid minus accurate elaboratum offenderis, id candor tuus, B. L. infirmitati facile condonet meæ. Maturior atas, bono cum Deo, maturiora dabit.

THEOREMA
PROPEMPTICUM.

*Philosophia non est inventum humanum,
Sed magnum Ter Max. Dei donum.*



ON unam eandemq; de ortu & natalibus sinceræ Philosophiæ omnium omnibus temporibus fuisse sententiam, Authores ijq; probatissimi demonstrant varij. Unum est, ut reliqua præteream, quod hæc, tanquam palmarium, non omittendum censeam. Refert id magnus ille, vel maximè Apollinis oraculo sapiens judicatus, *Socrates apud Platonem in Phædro* hunc in modum: *Audivi, inquit, circa Naucraticum Ægypti præcorum quendam fuisse Δαήμωνα, cui Ibis dicata; Hunc Ægyptijs præfuisse, & Leges literasq; tradidisse: Literarum autem characteres animalium, arborumq; figuras habuisse, perhibetur. Quia vero in excogitandis vitæ humanæ commodis adeo instructus, maximo ante omnes habitus fuit honore. Hic primus (ut fertur) & communem loquelam articularim distinxit, & rebus multis nomine destitutis, nomen indidit. Deorum cultus & sacrificia instituit. Distributam astrorum seriem, vocumq; harmonias princeps observavit; Palestræ etiam inventor; Numerosæ concinnitatis & corporis decorè effingendi studiosus artifex. Lyræ item à se inventæ tres chordas induxit, tres nos fecit. Græcis insuper Elocutionis magister, unde etiam Hermetes, id est, enunciator & interpret, appellatus. *Hæc & plura alia de eo etiam extant apud Diodor. Sicul. Biblioth. Hist. lib. i. fol. A B.* Quod si hoc certum, videtur utiq; omne, quicquid Philosophiæ nomine venit, huic, ceu primo authori, & ortum & dignitatem debere suam. Ut ut autem sit, certò tamen constat, neq; fuisse Δαήμωνα illum omnium omnino primum artium liberalium institutorem, neq; ut nonnulli perperam opinantur, genium aliquem malum. Namq; prius quod attinet, haud dubium est, quod etiam multis ante hunc seculis, sanior floruerit Philosophia, apud Patriarchas præsertim Hebræos, qui, ut*

Theologi fuerunt eo tempore omnium præstantissimi; ita quoq; eisdem penes prudentissimos Philosophos, rerumq; indagatores solertissimos viguisse, per quos deinde ex Ægypto ad reliquas gentes sana pervenit Philosophia. Non ergo diva philosophia primùm in Ethnicorum cerebro nata; verùm, ut egregiè Palladem è cerebro Jovis progeneratam vetustiores finxere Poetæ; Ita statim à condito mundo, omnium nostri parens, ADAM, donum hoc à Deo gratissimâ mente accepit, cujus beneficio omnium animantium, & è terrâ nascentium naturam & proprietates calluit, ac singulis convenientia imposuit nomina. Quod munus, una cum sacra theologia, & cultu divino, summo studio, summâq; diligentia filijs tradidit, & fideliter ad posteritatem propagavit. Sæpe ipse viridi super cespite sedens, de Deo cultuq; divino, deq; natura rerum cum liberis disseruit, qui cum didicissent, mundum quondam diluvio & incendio periturum, veriti ne majorum inventa posteris detraherentur, duas Columnas, Lapideam unam, lateritiam alteram, exstruxerunt, quibus fundamenta omnis scientiæ inscripserunt, ut qualemcunq; orbis aliquando sustineret pœnam, altera tamen istarum ad posteros extaret; Ceu id expresse testatur *Josephus*. Hic fons, hæc scaturigo est sanæ philosophiæ. Plane ad modum quem egregiè hunc in sensum scripsisse videtur *Seneca lib. Epist. xiv. Ep. 90.* *Quis, inquit, dubitare potest, quin Deorum immortalium munus sit quod vivimus, Philosophiæ autem, quod bene vivimus. Itaq; tanto plus nos debere huic, quam Diis, quanto majus beneficium est, bona vita, quam vita? Pro certo deberetur, nisi ipsi Dii Philosophiam tribuissent, cujus scientiam nulli dederunt, facultatem omnibus.* Nempe dedit nobis Natura igniculos sciendi, & ingeniis nostris semina innata virtutum, quæ si adolescere liceret, ipsa nos perducerent ad beatam vitam; ingenue id fatente *Cic. Quæst. Tusc. lib. iii.* Imo ipsi habitus intellectuales nobis innati sunt, solide hoc asserente *Dn. Alstedio lib. 1. Encycl. in Hexilog. cap. 2.* licet non quoad perfectionem, tamen quâ inchoationem, quod sufficit. Ut vero de posteriori etiam aliquid dicam: Ex Authoribus constat, *Δαήμονα* illum, qui Ægyptijs faciem Philosophiæ prætulit, non fuisse alium, quam Mercurium illum Trismegistum, Moysis

zortaneum, qui ob excellentem ingenij perspicaciam, Trismegistus, appellatus. Græcis namq; si *Stenchio* credimus, usq; venit, rem omnibus numeris perfectam, sic nuncupare, quemadmodum etiam *Homerus*, perfecte felices, non semel *τρισμάκαρες* dixit. Quod autem *Δαίμων* appellacione salutareretur, non ignotum, vocem istam non in illa sinistra tunc temporis, qua hodie usurpatur acceptacione, communiter frequentatam fuisse. Ut enim primitus aliæ, non modo Res, verum etiam voces, huic quam plurimæ consimiles, sacrâ habitæ sunt mente, & non nisi ad significandas Res insigniter Excellentes, adhibitæ; Itæ postquam plus invaluit abusus, non secus huic, quam aliis plurimis vis illata est, & in tantum degeneravit, ut non nisi de genio illo Plutónico communiter diceretur. Temerarium deniq; & nescio quid supra foret, Rem hanc tam sacram, imaginem ipsius Dei referentem, virtutis indagatricem, vitiorum expultricem, genio cane pejori & angve, flagitiorum omnium principi, dicere originem debere suam. Nihilominus tamen non desunt, nec procul ab his talibus mihi abesse videntur illi, qui sinceram philosophiam ceu errorû, & deceptionum omnium Tubam facemq; sacræ Theologiæ noxiam, Ethnicorum delirium, & Hæreticorum delictum, funditus exterminandam censent. Verùm ô censores! utinam non è ponte dejiciendos! Non etenim illa, quæ nil præter varias variarum opinionum sectas, vel spinosarum quæstionum in utraq; partem disputabilium copiosas myriades continet, sacro philosophiæ nomine appellanda; Neq; qui non nisi nudis entitatibus, hæccitatibus, formalitatibus, &c. rudiorum norunt obtundere aures, & nescio quibus non notionibus spuriiis in infinitum disceptare, monstrosasq; magno numero parcurire possunt sententias, Nobili Philosophi titulo honestandi, sed potius, cum hac tali sua Morosophia ad insulas laud fortunatas proscribendi. Omne quippe id, quicquid est, purum putumq; ne dicam mendacium, figmentum est. Hæc autem vera illa ac sobria est philosophia, quæ non hominis alicujus, sed ipsius Dei manu in ipsa natura quasi conscripta, omnibusve contemplanda, proposita est. Hæc inquam, illa philosophia est, quæ nihil falsi continet, quæ neq; Deo,

neq; sacrae Theologiae mysterijs adversari potest. Ut enim in Deum non cadunt qualitates oppositae; ita etiam illa, quae in natura fundata est, veritas, per se non potest Theologiae mysterijs contrariari, quamvis per accidens nonnunquam, & dum perperam apprehenditur, forte deficiat. Quod tamen haudquaquam philosophiae quae tali, sed ipsi rationi perperam philosophanti tribuendum. Quod si quis eo sensu philosophiam vellet e medio tollendam, quia per eam aliqui forte vel fallant vel fallantur; Cur non eodem etiam pacto solem e medio tolleret? qui etiam multi non minus ad idololatriam exercendam abutuntur. Proinde, quotiescunq; vox Philosophiae pro depravata illa usurpatur, toties, ex sententia *Adm. Rev. & Excell. Dn. D. Svenonij, adhibitae Synops. Theol. pag. 4.* dico, illam κατηχητικῶς accipi. Et quamvis dixerim Philosophiam inventum humanum, singulari quippe magnorum virorum industriae superadditae benedictione divina, ad tantam nunc excrevisse perfectionem, figmentum tamen esse, prorsus inficior.

THEOREMA
NOOLOGICUM.

Impossibile est idem simul esse & non esse;
Principium est cognoscendi omnium absolute primum.

Quamvis de existentia Noologiae non attinet multum dubitare, Communi siquidem omnium alius philosophantium consensu aq; est manifestum, existere eam, quam est, quod datur in mundo Sol. Nihilo tamen secius, non e re futurum arbitror, si illa paucis heic repeterem argumenta, quib. existentia ejus a probatissimis adstrui siveit authoribus. Petuntur scilicet ea (α) A mensura omnium disciplinarum Theoreticarum, quae est objectum, illas non tantum constituens, sed ab alijs quoq; distinguens; Ita, ut ubicunq; datur objectum aliquod peculiare discipline, ibi quoq; danda est peculiaris pro tali objecto disciplina; Sed Noologiae datur peculiare objectum discipline, E. Major apud omnes philosophos in confesso est; Sunt namq; τὸ σκίβηλον, & scientia, τὰ πρῶτα ἢ, ita quidem, ut plane inconveniens

sit aliquid esse scibile, & non in aliqua disciplina expendi. Minor patet: quia datur aliqua convenientia rerum, unde prima principia fluunt. Ratio rationis est: quod si plane eadem esset omnium rerum similitudo, daretur quoq; omnium rerum idemritas, ita ut nullum foret inter Creatorem & creaturam discrimen, quod egregie absonum; Si omnimoda dissimilitudo, Res è statu Entium, deducerentur in statum non entium, quod itidem tale. Ergo omnino aliqua concedenda erit rerum inter se convenientia, non quidem essentialis aut totalis, sed realis & aliqualis, cujus mediante Συγκρίσις ita inter se res comparantur, ut immotum cognitionis nostræ invenire possimus fundamentum. Et licet aliæ quoq; disciplinæ, utpote Metaphysica, Logica, de convenientia rerum, quodammodo, & de facto agant; Sola tamen Noologia sub hoc formali, quatenus prima inde cognoscendi principia eruuntur, id jure præstat. (β) Præter vincibilem illam, quam, ex more aliarum sententiarum, circa Objectum hoc cognoscendum intellectus noster sentit difficultatem, etiam probatur ex absurdo adversam sententiam consequēte; Si enim nulla acquisita daretur primorum principiorum cognitio habitualis, plane fallibilis foret scientia omnis, quippe quæ illis, ceu fulcro & refugio ultimo in demonstrando nititur, utiturq;. At Scientia omnis certa erit, Ergo. Facit & huc (γ) Authoritas tam veterum quam recentiorum virorum maximorum, qui hanc eandem & amplexi sunt, & professi ingenuè; utpote *Aristoteles l. 6. Eth. c. 3. & post anal. c. 2.* quinq; constituens genera habituum intellectualium, primam illa inter posuit intelligentiam, inquit: λέγω τὸ πρῶτον ἀρχὴν ἐπιστήμης. *Thomas Aquin.* statuit *Noologiam esse habitum naturalem superadditum potentie intellectiva.* *Cajetanus* item, *Svaretz.* & præcipue subtilissimus ille *Gurkius*, qui omnium primus primam huic disciplinæ imposuit curam, ut illam in systema disponderet quem postea secuti sunt *D. Calovius, Frommius, Geilfustus, aliiq.* Non ergo minus nefarium, quam frustraneum foret, opinor, in dubium revocare id, de quo ne hæsitare quidem tantis viris in mentem venit. Prima utiq; hæc est, & quidem prioritate naturæ, quamvis posterior in ordine culturæ. Certissima est, cui nemo faci-

Ita contradicere potest. Ut vero ad institutum: Præsciendum in quo formalis ratio primorum principiorum maximè consistat, nempe, in eorum primitate, evidentia, & communitate maxima, ita quidem, ut omnem omnino ulteriorem respuant vel demonstrationem, vel probationem, eruntq; per se tam nota ac manifesta, ut quilibet, saltem vocum intelligens, eis assensum præbeat, plane quemadmodum è *Basilio* quodam egregie profert *Præcl. noster M. Jac. Flach. in Synop. Nool.* inquit: *Necesse est cujuslibet disciplina principia tam esse discuntibus certa ut sub examen revocari non debeant;* Subjungens inde conclusionem hanc suam: *quod si tanto in vigore habeantur principia illa orta, multo magis prima principia teneri omni esse Examine superiora, quippe quib. omnis cognitio inniti & debet, & necesse habet.* Namq; in eruendis hujusmodi principiis, intellectus noster primum Terminos concipit incomplexos, utpote ENS, & NON ENS; animadvertitq; infinitis ea distare parasangis, ut non omnimoda modo illis intercedat repugnata, verum etiam mediatio plane nulla; hinc tales sibi format conceptus, quales videt ipsa cum Rei natura & veritate convenire; primum quidem hujusmodi propositiones indefinitas: *Ens est Ens; & Ens, non est non Ens.* Quia verò ex suppositis propositionibus videt tam necesse esse Enti, dum est, esse, quam necesse est Enti, dum non est, non posse esse; exinde tale hoc eruit sibi principium: *Impossibile est idem simul esse & non esse;* Quo, ceu evidentissimum, & in probandis aliis conclusionibus omnibus firmissimum, utitur, & agnoscit. Recte proinde ex sententia *Gurkij* reprehendit *Eisterus* illos, qui contendunt habitum talium principiorum simpliciter & per naturam intellectui insitum esse. Ex dictis namq; in valde fallor, liquet, esse illum omninò acquisitum, non quidem per discursum aliquem, ut scilicet in probandis suis conclusionibus medium terminum quærat, sed per simplices actus, & solà, quibus principia constituuntur, terminorum penetratione. Satis itaq; evidens est, esse primum hoc principium non ex conventionem & hypothese tale, sed per se suàq; natura ἀνομιαν, omnium cognoscendi principiorum essentiam & constitutionem *χρησας* imbibens, quæ hoc, ceu fundamentum sui, & assylum ultimum, unice supponunt, petuntque.

que. Quod licet complexè enunciatur, non tamen eò periclitatur absoluta ejus vel primitas vel simplicitas. Non enim est de essentia primitatis principij, ut vel unicum tantum habeat terminum incomplexum, vel quod simplici & absolutà constet enunciandi forma; Sed ut simplicissimà suà independentiâ, quâ nec prius quid, per quod demonstrari potest, se agnoscat, nec in ulla alia probabilia principia resolubile est, evidentissimam arguat veritatem. Tale unicum est præfens hoc nostrum. Dari vero etiam præter hoc, alia principia late satis patentia, non nego; hoc autem omnium esse absolute primum, adhuc dico, quippe quod ullam, sine dica *elenchi* admittit demonstrationem, solide id innuente *Ernest. Soncr.* cujus verba citat egregius ille *Stbal. Reg. recogn. Phil. 1. p. m. 333.* inquit: *Qui primum hoc sive ostensive, sive per impossibile, conaretur demonstrare principium, necessario petiturus esset principium; Ostensive quidem, quia nil hoc principio est notius; vel igitur ex notiori, vel ex aequo ignoto demonstraret; Per impossibile, quia nullum majus foret incommodum hoc ipso; quare aut ad minus, aut ad aequè incommodum duceret; utrumq; autem est petere principium.* Ex hoc *Theophr. lib. de affirm.* demonstrationem hujus principij violentam, & præter naturam appellavit. Et quamvis non ignorem conari aliquos amplissimum hocce principium à suo decurbare fastigio, substituentes alia, vel spuria, ut *Cartesius*; vel minus commoda, ut alii; Nihilò tñ. secius suam obtinet primitatem incorruptam. *Javellus quidem iv. Metaph. Quest. ix.* principium id quod *Philosophus iii. Metaph. t. 4.* proponit: *Quodlibet est vel nō est:* non modo plane idem cum hoc nostro, verum etiam, quia affirmative enūciatur, latius esset statuit. Egregie tamen in hoc repulsam tulit à *Fonseca*, è cujus sententia *Clariff. Thur. Metaph. part. Gen. pag. 25.* contendit, maxime differre illa, quod hoc dicat repugnantiam, seu negationem simultatis, illud vero immediationem, seu negationem medij. Estq; hoc omnino fundamentum illius, namq; ad quæstionem, cur illud sibi constet? alia depromi non potest ratio, quam quia *impossibile est idem simul esse & non esse.* Esse quidem illud prius ac simplicius in ordine enunciandi, non diffitendum; at respe-

De veritate & independentia, minime. Porro, quemad-
modum aliàs nil tam ineptum, & à veritate alienum esse po-
test, quin aliquando assertorem & defensorem inveniatur; ita pror-
sus miror, quàm laborarent illi capitis vertigine, qui evidentissi-
imum hoc axioma, negare veriti non fuerint. Quos inter no-
minatur præcipuus ille Sycophanta, qui nomen Christiani Isra-
ëlita mentitus, in libello quodam contra Graverum, esse axi-
oma hoc veritati fidei inimicum, proferre non erubuit, oggan-
niens aliqua, ne commemoratione quidem digna. Huic maf-
cule obviam it Clariff. Sthal. dicens: Si verus Christianus non
potest, nec debet agnoscere axioma hoc, qui factum quod ipse
Apostolus illud agnovit, dum Rom. xi. com. 5. & 6. hunc in
modum disserit: Sic igitur, Sin hoc tempore, reliquæ secundum
electionem gratia fuerunt. Quod si per gratiam, jam non ex
operibus, quandoquidem gratia jam non est gratia. Sin ex ope-
ribus, jam non ex gratia, quandoquidem opus jam non est opus.
Apostolum hic pro absurdo & ἀδυνάτω habere, aliquid esse
gratiam, & non esse gratiam, esse opus, & non esse opus, quæ
contradictoria sunt, & isto axiomate, quod contradictoria non
sint simul vera, argumentum suum fundare, vel cæcus videt.
An ergo verus Christianus fuit Apostolus, qui axiomate illo
naturali usus fuit? An vero in hoc ab officio electi Dei organi
decessit? Ἀπόρον. Hæc ille; Alibi inde hanc subjungens senten-
tiam, quod fuisse potius, quam ratione, & majore quidem me-
rito ac ille Bileami Asinus, erudiendus est, qui hoc principium
ultra negaverit, donec necessum habeat fateri, Impossibile esse
idem simul esse & non esse.

T H E O R E M A
M E T A P H Y S I C U M .

Metaphysica Nobilis Philosophiæ pars est.

ET si eruditus supervanea forsan hæc Thesis videri potest, quod alioquin manifestum sit, Solem è mundo tollere illum, qui ipsam disciplinarum Principem & Aquilam è commercio sanæ philosophiæ prosciberet; Non tamen abs Re fore arbitror, si hæc quoq; in Thesi paucis memet exercerem, maxime quia non igno-

rem deprehendi aliquos, huic scientiæ admodum infestos. Nec sanè diffitendum, fuisse illam superioribus seculis, non suspectam modo, verum etiam valde exosam, præsertim, dum Tutoribus orba in *Scholasticorum* pervenit manus, itaq; futilibus eorum adeo conspurcata subtilitatibus, ut Crudelissimos quosq; inde experiri cogeretur insultus, & ubiq; fere locorum male audiret, usq; dum Excellentissimorum quorundam, ac peculiariter à supremo Numine ad hoc formatorum, & excitatorum virorum ope, qui haudquaquam suapte libidine & erogantiâ, sed ductu rectæ rationis, experienciæq; multiplicis, summo studio atq; conatu, in statum meliorem quam pristinum, id est, exoptatissimum, redacta est. Quo factum, ut in omni, quousq; sese extenderet (diffundit namq; radios ad pleraq; bonarum artium genera,) in tantum non modo crevit, verum tot etiam brevi creavit viros Excellentes, quot vix omnibus, dum exul erat, seculis, vel lampade Investigares. Quamobrem gratissimâ eam nunc mente exosculantur, unanimiq; consensu amplectuntur omnes solide eruditi, dignitatem ejus vindicantes maximè, adeo ut non præter quosdam, fratres forsan ignorantia vel (*si Scaligeri utar verbus*) flagitiosa marcentes licentiâ, & cum *RussicoLuciani* ligone philosophantes, saltem difficultatis, curiosæq; subtilitatis illi dicam scribere audeant, indeq; ultro suspectam reddere. Verùm, tales Philosophos, philosophorum Titulo indignos, vel fungus diceret, quippe qui illam respuunt scientiam, ex quà omnium aliarum scientiarum certitudo & principia dependent; & vereor ut homines censeret illos, qui proprio humanitatis, quod est variarum, earumq; abstrusissimarum rerum cognitionem desiderare, exuti, nescio quid monstri alant. Si enim Logodædali isti, vel limen solidæ unquam salutassent philosophiæ, tantum suum stuporem, inq; nobilissimum tale Dei donum audaciam, vel medio deberent obruere mari, ne quisquam mortalium ejus foret conscius. Quandoquidem præter *necessitatem* Metaphysices, quam satis arguit turpis illa, si aliàs in disciplinis inferioribus, communissimorum terminorum, in actu signato institueretur repetitio, *dignitatem* quoq; ejus maximè commendat summa *objecti*, quod pertractat, *nobilitas*. Non enim heic

de vulgari aliqua Re agitur, neq; etiam nuda terminorum notitia proponitur; sed ipsissima & summa, quæ circa omnia versatur, sapientia, & difficilima pertractat, & certissima est, maximeq; ad docendum apta, quæq; ad prima usq; Rerum principia & causas excurrit. Sol quidam est, reliquis stellis, ducis instar, præfectus, ad cuius nutum disciplinæ inferiores sese conformant omnes, & à quo maximam sui nanciscuntur lucem. Adstipulatur his quoq; *finis*, ad quem hæc scientia tendit; ille enim summus est, & plane divinus, ipsa nempe *veritas*, quam omnes Metaphysicæ partes unanimiter contendunt. Tantum igitur abest, ut ob suam difficultatem & subtilitatem, prima hæc contemneretur philosophia, ut potius hisce ipsis, ceu calcaribus, quemlibet sobrium artium cultorem ad se excolendam magis magisq; instiget, alliciatq;. Neq; enim suis unice suppetias fert subditis, verum ad reliquas etiam facultates, suos transmittit fructus fragrantissimos. In ipsa sacra Theologia quantus hujus scientiæ sit usus, optime novit, qui in certaminibus Theologicis paulo desudavit intensius. Siquidem sagaciores contra adversarios, vel parum, vel nihil efficies, nisi terminos illos communissimos noveris, ijsq; probe instructus fueris. Quibus quidem, pro concione ad vulgus, non multum indiges, in Scholis vero & disputationibus, nihil minus quam his carere poteris, nisi vel causâ cadere, vel os tibi obturari mavolueris. Testatur hoc ipsum graviter alicubi Excellentissimus ille Theologus, *D. Gesnerus*, inquit: *Si nihil aliud in Metaphysica intraderetur, quam vocum illa & rerum ambigüe varièq; sumptarum expositio, ambabus, ut dicitur, acceptanda foret manibus.* En judicium viri, & quidem Theologi non vulgaris! Gladius certè Delphicus est, quo adversarii proprium maxime jugulum petunt. Commemorat namq; egregius ille latinè dicendi præceptor, *Erasm. Rot. in Chiliad*; fuisse gladium illum ad eum modum fabrefactum, ut eodem simul & sacras mactarent victimas, & fontes supplicio afficerent; simile plane, si non idem, mihi præstare videtur Metaphysica. De hoc vid. etiam *Coël. Rhodig.* & *Giphanius*. Quod vero superioribus annis, dum Scholasticorum illam Theologiam, seu potius Matæologiam, quidam ex-

Aspirare conati sunt, veram simul etiam hanc philosophandi rationem è Scholis publicis profligarunt, id valde nefarium duco. Quasi vero, qui tunc temporis maxime vixit, abusus ejus tolli non posset, nisi ipsa quoq; hæc scientiarum Regina laqueo mandaretur? Quasi infantem ablueret mater nequiret, nisi eundem prorsus submergeret? Vanum! Ut ergo nihil amplius hac de Re dicam, hoc addo: Neminem vel in Theologum, vel Philosophum evaderè posse Excellentem, sine accuratiorè Metaphysices cognitione.

THEOREMA
PHYSICUM.

Sol calidus est formaliter.

Nullam omnino rem tam esse certam, quin diversæ de illa foveri possint sententiæ, apud rerum peritos satis in confesso est. *Alteri namq; ut dicitur, oleum, alteri Allia sapiunt.* Ne vero quis me, ceu novis prodeuntem cothurnis, arguat, quod, cum bonâ tamen maximorum huic opinioni contranitentium virorum veniâ, asseram heic, illustrissimum illum astrorum Principem, naturali quodam præditum esse calore; Ideoq;, ut satius esse duco, de re ipsa quærere, quàm continuo dubitare, præsertim dum rationes ab utraq; parte disceptant gravissimæ, spero quoq; quemvis penès æquum instituti mei censorem, me, ceu à præconcepta opinione liberum, in hoc facile excusatum iri, ut opinionem hanc meam, occasione datâ, libere aperiam, firmiorem scilicet hinc inde consecuturus vel rationem, vel informationem. Neq; enim est, ut novitatis quis hanc arguat sententiam, quippe quam Philosophi non paucis adstruxerunt argumentis antiquissimi. *Aristoteles*, quanquam ipse fortassis ab hac sententia alienus, & nullibi me animadvertente eidem adstipulatus, tamen *Lib. 11. Cap. 13. de celo*, testatur *Philosophos Italicos* hanc fovisse. Nec sciam, num tantum ipse sibi arrogasset, ut, svadente ita forsitan rei veritate, libere differentem à se divorcium facere vetaret, præsertim cum & ipse, utut vir magnus, in multis tamen humanum & passus, & fassus. Neq; etiam, ut *Comicus* ait, *unquam quisquam ita subducta ratione ad*

vitam fuit, quin Res, atas, usus semper aliquid novi apporet, aliquid moneat. Certe *Seneca* tantus vir, ne propria ei fordeat existimatio, quod, ut ipse profiteretur, nullius nomen tulerat, neq; cuiquam se mancipaverat, multum quidem magnorum virorum iudicio credidisse, aliquid etiam suo vindicasse; Is, inquam, totus in hac sententia fuit. *Plutarchus* quoq; *Lib. III. Cap. 13. de placitis philosophorum*, ita de *Philolao Crotoniate* loquitur: *Ignem ille in medio collocabat æthere, asserens ipsum universi focum esse;* *Quod ipsum Nicol. Müller. in not. Copern.* de ipso sole interpretatur, dicens, *ignem hec omnino designare solem.* Quinimò, si mihi ex sententia *Metaphysicorum*, quibus antiquissimum quodq; verissimum est, loqui liceret, utiq; opinionem hanc vetustiore ac prius receptam, quippe quæ dictamine ipsius *Sp. Sancti* in sacris exprimitur literis, veriore esse quam diversam illam, facillime evincere possem. Ideoq; pro stabilienda hac thesi, tale necesse argumentum: *Quodcunq; (α) affirmat scriptura sacra. (β) confirmat recta ratio. (γ) Comprobant eruditi, tam sacri quam profani, tam veteres quam recentiores. (δ) Testatur experientia, id ut verissimum erit agnoscendum; At sententiam hanc affirmat Ser. Sacra, &c.* Ergo. Major sua luce radiat; namq; ex his dijudicatur veritas omnis. Minor ad singula probanda est membra. Quantum ad (α) Testatur hoc luculenter *Psaltes*, *Psal. xix. com. 7. Ab extremitate cælorum ortus ejus, & revolutio ejus ad extremitates eorum, nec est quod abscondatur à calore Ejus.* *Ecclesiast. item cap. XLIII. com. 2, 3, 4. Sol ad aspectum nunciat de glorioso Dco, quod instrumentum est admirabile, opus Altissimi. Quum in meridiano est, arefacit regionem, & ex adverso æstus illius quis subsistat; quasi in Caminum sufflet operibus Æstus Sui. Tripliciter Sol exurit montes, VAPORES IGNEOS EFFLAT, & refulgens radiis hebetat oculos.* Quod si ipsos horum textuum fontes peteres, firmiorem haud dubie inde erueres probationem. Nec est quod quis objiciat, non decere ad testimonium scripturæ recurrere, dum de rebus physicis res est, quippe quæ earum dijudicandi Norma non est. Dico, omnino esse eam earum Normam, utut non adequatam, tamen, inadæquatam, & quam vocant *Eminentia*, ad quam

ut plurimum examinantur res non viles, non pauca. Commu-
 ne bonum, communis liber est, quem diurnâ nocturnaq; vol-
 vant manu, non Theologi modo, sed & Icti, Politici, Physici,
 aliq; Omnes ibi inuenient succum & sanguinem. Proinde,
 si Physicis, Mathematicis item, conceditur maximè testimonio
 S. Codicis probare, Terram in medio Univerſi immobilem ma-
 nere; quid prohibebit, quæſo, quo minus ejus testimonium et-
 iam in hoc valebit? æquè sit verum? Quantum ad (β) pro fun-
 damento ſuppono axioma illud, quod ut plurimum apud *Meta-
 physicos* valet, nimirum: *Qualescunq; quid habet proprietates,
 talem quoq; habebit Essentiam.* Subſumo: *Sol tales habet
 proprietates, ut calorem efficiat, Ergo talem quoq; habebit natu-
 ram ſive eſſentiam.* Minorem ſtabiliunt, partim quæ jam dicta
 ſunt, partim infra dicenda. Notum enim eſt, & lippis & ton-
 ſoribus, quod quando Sol nobis eſt proprior, majorem quoq;
 nobis communicet calorem; quando remotior, remiſſiorem.
 Quo fit, quod Sol australior, intenſiorem quoq; in locis austra-
 libus producat calorem, quam in hiſce ſeptentrionalibus; Tunc
 enim perigæus eſt, & illi terræ proprior, quam nobis. Quan-
 do autem borealis fit, & S. S. S. aſcendens, tunc in illis locis te-
 pet, in hiſ calet; non quidem adeo tam fervidè, quia nobis
 apogæus eſt. Facere quidem ad calorem producendum etiam
 atomos igneas, è terræ cavernis extractas, non nego; affirmat
 ſcilicet id quoq; *Seneca Lib. Nat. ii. p. m. 126.* inquit: *Inferiora
 hæc quoq; tepent, partim terrarum habitu, qui etiam multum
 ſecum calidi affert; plurimum tamen quia radij Solis replican-
 tur, & quousq; redire poterunt, reduplicato calore benignius fo-
 vent. Loca autem, quæ aliqua iniquitate nature ita clauſa
 ſunt, ut ſolem accipere non poſſunt, illa quoq; nubila & triſti
 luce caleſcunt, & per diem minus quam noctibus rigent.* Et
 quamvis non ignorem, acriter ſatis contendere alios, ſolem
 præditum eſſe vi magnetica, adhuc tamen ſalva res eſt. Illa e-
 nim non uni Soli propria, ſed reliquis etiam aſtris omnibus com-
 munis eſt, quam propter interiorum formarum ſympathiam, in
 hæc inferiora exercent. Et certè, ſi Keplero credimus, virtute illa
 nil aliud exprimitur, quam vis illa, quâ reliquorum planetarum

motus regit & gubernat in æthere liquido, quæq; omnibus temporibus una est. Quid? quod Physici, Astrologi item, naturam solis definientes, calidum & siccum esse, fateri necesse habent. An vero hoc igneæ est naturæ? ni fallor. (Γ) & (Δ) quod concernit, neq; erit id probatu difficile, namq; hoc dicunt RR. Theologi pleriq; ; quos inter nominatim vidi *Dn. Bunting. Harm. Evang.* Cujus, ut & aliorum testimonia, brevitati studens, hac vice consultò omitto. Quod autem alij objiciant, testari experientiam, loca eminentiora, id est, Soli propiora, eò non esse calidiora, sed maxime frigida, indeq; inferunt solem naturâ non esse calidum. Illis, meo quidem sensu, non minus egregiè, quam prolixè respondet *Seneca Lib. iv. Quest. Nat. ad Lucill.* ubi ita habet: Ajunt quidam contra, cacumina montium hæc calidiora esse debere, quo propiora sunt soli. Qui mihi errare videntur, quod Apennium, & Alpes, & alios montes ob eximiam altitudinem in tantum putant crescere, ut illorum magnitudo sentire solis viciniam possit. Excelsa sunt ista, quam diu nobis comparantur; At verò ut ad universum respexeris, manifesta est omnium humilitas. Inter se vincuntur & vincunt. Quod enim, nisi sub interrogatione esset, non dicerem totum orbem terrarum pilam esse. Pilæ proprietas est, cum æqualitate quadam rotunditas, ad æqualitatem ducta. Hanc autem accipe, quam vides in lusoria pila, non multum illi commissuræ & rimæ nocent, quo minus par sibi ab omni parte dicatur. Quomodo in hac pila, nil illa intervalla efficiunt, ad speciem rotundi; sic necve in universo quidem terrarum orbe, æditi montes, quorum altitudo totius mundi collatione consumitur. Qui dicit altiorem montem, quia solem propius accipit, magis caleere debere; idem dicere potest, longiorem hominem citius quam pusillum debere caleferi, & caput ejus, quam pedes. Atq; quisquis mundum mensura sua existimaverit, & terram cogitaverit tenere puncti locum, intelligit, nihil in illa ita posse eminere, ut cœlestia magis sentiat, velut in propinquum illis accesserit. Montes isti quos suspicimus, & vertices æternâ nive obsessi, in imo sunt, & propius quidem soli quam campos aut valles. Sed sic, quomodo est pilus pilo grossior, arbor arbore, &

mons monte major dicitur, isto etiam modo, & arbor, & alia magis quam alia, dicentur vicina cœlo: quod falsum est; Quia inter pusilla non potest esse magnum discrimen, nisi cum inter se comparantur. *Et aliquibus interjectis, rationes addit, dicens: Unam rem adjiciam, & favere, ac plaudere te juvabit. Ajunt terram habere calores ex quatuor causis. Una, quod omnis terrarum evaporatio multum in se fervidi aridique habeat. Altera, quod radij solis à terra resiliunt, & in se currunt; Horum duplicatio, proxima quæque; à terris calefacit, quæ ideo plus habent teporis, quia solem bis sentiunt. Tertia est, quod magis superiora perflantur, & quæcunque; depressa sunt, minus ventis verberantur. Accidit his ratio Democriti: Omne corpus quò solidius est, hoc calorem citius concipit, diutius conservat. Itaque; si in solem posueris æneum vas, & vitreum, & argenteum, æneo citius calor accedit, diutius hærebit. &c. Hæc longe præparata, inquit, ad id perducunt, de quo nunc quæritur. Omnis aër quo propior est terris, hoc crassior. Quæmadmodum in aqua, & in omni humore, sex una est; ita in aère spississima quæque, descendunt. Jam autem probatum est, omnia quo crassioris solidiorisque; materiae sunt, hoc fidelius custodire calorem receptum; sed aditior aër, quo longius à terrarum colluvie recessit, hoc sincerior, puriorque; est; itaque; solem non retinet, sed velut perinane transmittit, ideoque; minus calefcit. Hæc ille. Dicas contrarium firmius, & Phyllida solus habero; dicit Menalcas Virgilij, Ecclog. III. Hisce inquam, aliisque; forsan non ficulneis argumentis, permoti, in hanc sententiam abiverunt viri haud infimi subfellij, utpote, Galileus, Melapertius, Kirckerus, Sebeinerus, aliique; Quorum non tam fama quidem, quam monumentis, in hunc diem novercans me prohibuit fortuna. Horum ergo judicio (ut verbis Celeberr. Sperl. utar) tamdiu standum, donec rationibus firmioribus id fuerit exploratum. Quod si hoc sensu, humani quid passus sim, meminero commune id vitium esse. Gaudeo quoque; me non solum, sed quia cum tantis viris, ideoque; æquo animo in hoc erroris, fortassis, notam ferre; Meque; insuper in ijs esse libenter existimari velim, utpote qui meliora monentibus modeste obtemperat.*

T H E O R E M A
E T H I C U M.

Virtus in medio consistit.

Multorum, circa hujus thesæos decisionem, reperire licet sententias, easq; nonnihil discrepantes. Sunt etenim, qui *privationem extremorum* virtutis esse *formam* ajunt. Sunt etiam, quibus non arridet formalis illa virtutis ratio, quam *Arist. Lib. Eth. 1. cap. 4. & 11. cap. 7. μεσότης*, seu *mediocritatem* statuit; qua videlicet virtus moralis inter duo adverse extrema, *defectum* nempe, & *excessum*, media statuitur; veluti *liberalitas media collocatur inter avaritiam & prodigalitatem: Fortitudo inter temeritatem & timiditatem*. Non arridet, inquam, omnibus mediocritas hæc. Dicunt enim esse virtutes, quæ nullo unquam vitiari possunt excessu: utpote, *pietas, amor Dei, justitia, &c.* unde satius esse autumant, *formam* virtutis *genericam* constituere in *conformitate cum lege*, quam in *mediocritate secundum rationem prudentiæ*. Quam quoq; sententiam, una cum *Heidero, Amesio, aliisque*, ceu probabiliorem, & agnoscit, & acriter defendit *D. Meisnerus Phil. sobr. Part. 1. Sect. 11. Cap. 11. Quest. 11. p. m. 248. & seqq.* qui etiam fusius ibi consulatur. Summa huc redit: Quod si in *mediocritate affectuum* collocaretur forma virtutis, affectus illi, aut essent *per se boni*, qualis est *miseriordia*; aut *per se mali*, ut *odium*; aut *indifferentes*, ut *amor, gaudium, &c.* Sed *affectus per se boni, formam virtutis non constituunt*, quia, *sive remissi sint, sive intensiores*, nomen boni non amittunt. *Non per se mali*: quia *quantumcumq; hi temperentur, nunquam virtutem procreabunt*, quippe qui à prima usq; calce habitum vitij induunt. Neq; *indifferentes*: quia nemo, V. g. vel de *acceptis à Deo beneficiis adeo letari*, vel de *perpetratis malis tam dolere potest, quam ut nimium sit*. His insuper addunt, nefas esse, *justitiæ*, virtutis sanctissimæ, *formam*, duo inter collocare extrema, cum omnino *injustum sit, quicquid vel modicum à recto declinaverit*. Nos celebriores Philosophiæ practicæ secuti Præceptores, tale, ad dirimendam hanc litem, ferimus judicium: Difficile quidem esse, & ferè impossibile, in moralibus determi-
nare

nare verum aliquod & *rotale virtutis medium, secundum re-
ctam rationem, & sufficientiam omnium circumstantiarum for-
matum.* Neq; etiam in constituendo *adequato virtutis medio,*
adèd pertinaciter in *indivisibili, & puncto aliquo Mathematico*
subsistendum, velut qui punctum illud non attigerit, non virtuo-
sus, & qui parum ab eo declinaverit, statim vitiosus sit censen-
dus. Sed prout vel virtutis ratio, vel inclinatio nostra, ad u-
num potius quam alterum vergens extremum, requirit, paulu-
lum videlicet ad sinistram, paululum ad dextram, *pro diverso
& subjectorum, & adjunctorum respectu,* inclinandum. Velut si te-
nuis quis fortuna homo sex quotidie in rem familiarem impende-
ret aurcos, prodigus haud dubiè estimaretur; Versà a. vice, si vir
illustris non plus erogaret, sordidus, & in defectu peccare. In ma-
gnis namq; que parva sunt, pro magnis haberi posse in parvis,
recte censet Clariss. *Wendel. Phil. Moral. part. 1. cap. 3.* Hoc vo-
lo; dum formale virtutis in medio colloco, *medium* heic intelli-
gi debere, non *Aritmeticum,* sive REI, quod scilicet *simplici-
ter* inter defectum & excessum interjacet, & sine respectu persona-
rum, loci, temporis, aliarumq; circumstantiarum, utriq; extre-
mo est æquale; Sed *Geometricum & Rationis,* quod uni extremo-
rum nonnihil est propinquius, ab altero remotius; quemadmo-
dum fortitudini similior est audacia, quam timiditas; liberali-
tati propinquior profusio, quam avaritia. Huc facit & illud,
quod Hebr. ei virtutem MIDDAH, *mensuram,* vel quasi
ad mensuram examinatum, appellitant. Quo ipso haud obscu-
re innuunt, Essentiam virtutis in *commensuratione* seu *mediocri-
tate ad normam rectitudinis* consistere. Frustra ergo sunt, qui
mediocritatem reiiciunt, cum *judice Nobiliss. & consult. D. Gyl-
senstälpe Colleg. Eth. Diss. III.* Minus necessarium sit, adeo cu-
riose inter *ἡμετέριαι καὶ ὁρδομένη* distinguere; Quandoquidem
tam arcte hæc cohæreant, & sororio quasi vinculo connexæ sint,
ut una sine altera nunquam existere possit. *Quicquid enim lau-
dabilem servat mediocritatem, modum mediumq; tenens, illud
etiam debitam servat rectitudinem;* Et è contra. Plura qui hac
de re desiderat, consulat, præter alior *Consult. nostrum Kempe
Eth. part. Gen. cap. 3.* Item *Seyboth. Manual. Phil. Theor. Pract.*

THEOREMA
POLITICUM.

Nobilem genere, Litera illustrant.

PRæclaræ sunt Res geminæ quæ Nobilitant: ARS sc. & MARS; *Literæ & Arma.* Inde veram quoq; Nobilitatem metiendam esse, constans est & consentiens omnium celebriorum Politicorum assertio, qui nullum sine *virtute* vel *Bellica*, vel *Togata*, Nobilitati relinquunt locum. *Bodin. Lib. iii. Cap. 8.* Ut enim Aurum non opinione tantùm, & hominum arbitrio, sed insitâ quoq; præ alijs metallis maximè præualet bonitate; Sic Viri, quos *ardens exexit ad sidera virtus*, Civilia licet non adepti Ornamenta, in universo tamen nihilominus resplendent naturæ Theatro. Ita *Nobilem non accepit, sed fecit Philosophia Platonem. Sic, Nobilitate hac superior erat Socrates Anylo atq; Melito*; ille licet privatus, hi summis se jactarent Reip. honoribus. Paratur a. illustrior illa, maximè ingenuarum Artium culturâ, quæ *interior animi cultus Prudentiam gignit, taciteque Judicij vim format.* *Lips. Polit. lib. 1. cap. x. §. 2.* Non ita quidem, *Lucillum* monente *Senecâ lib. de stud. liberal*, ut *literæ virtutem dent, sed ut animum ad accipiendam illam optime preparant.* Namq; , *ut pulchre Plutarch. in C. Mario Coriol. cap. 1.* *Nullum Majus est donum, quod acceptum bonitati Musarum homines ferre debent, quam quod Doctrina & Disciplina emolliuntur ingenia, modumq; tenere, & nimia omnia vitare discunt.* Idcirco, quicumq; vel justâ felicitq; armorum tractatione vel celebri ore liberarum cultu cœteris antecelluerunt Civibus, uti de Patria, totaq; societate humana præclare meriti sunt; Ita illustre sibi nomen, gloriamq; paratum ivere immortalem. Verum, ut humanum est, tantâ non pauci cum *Licinio* turgent persuasione, *Literas virus esse, & pestem Nobilitati, sibi, suoq; Statui minus convenire: Scholasticis saltem personis relinquendas; Sufficiat illis longa unice Avorum Stemmata, & Clypeos ostendere, nullâ, vel exigua virtute fultis.* Qui, an genuini Nobiles? ipsi viderint. Ausus nonnemo fuit *Talem Nobilitatem generis puta, quæ virtute destituitur splendidum vitiorum appellare præconium.* Unde non inepte lætus quidam: *sicut fides sine operibus Res est mortua, ita & Nobilitas sine virtute.* Ecquis v. Nobilitatem animi, quæ ut plurimum Literis acquiritur, corporis labem existimaret! *Dignitas dignitati addita, eandem magis magisq; illustrat,* ut præclare docet *Consult, noster Kempe,*

MANTISSA,
COROLLARIA QUÆDAM
EX AMOENISSIMO PHILOSOPHIÆ AGRO
COLLECTA, ADJUNGENS.

Coroll:

Generale. *Philosophia, s Theol. ministra, herã nusquã oppugnat.*

Noologic. *Noologia, formaliter, à Metaphysica differt.*

Metaphys. *Non Entis nulla est scientia, nulla predicata.*

Pneumat. *Spiritus, ut sic, non habet principia.*

Physicum. *Materia prima figmentum est,*

Astronom. *In sphaera naturali non dantur orbes Reales.*

Geometr. *Proportio Diametri ad Peripheriam, est Triplasesqui.*

Arithmet. *Dividuum ab aliquo, est minimus ab utroq. (septima.*

Musicum. *Hemiola, systemate, non differt à sesquialtera.*

Opticum. *Visa per duo diversa media videntur vero majora, interdum etiam fracta.*

Gnomon. *Intervall. punctorum horariorum variantur pro diversitate altitudinis circuli Azimutalis.*

Historic. *Vinum etiam ante diluvium in usu fuit.*

Ethicum. *Volenti non fit injuria.*

Politic. *Tres faciunt collegium.*

OEcon. *Virginem quam viduam ducere satius est.*

Logicum. *Definitio perfecta specierum est.*

Rhetoric. *In persuadendo ornatui sermonis maxime studendum.*

Gramat. *Ubique Grammatica utendum.*

DEO TRINUM
TER MAXIMA GLORIA.

Præstantissime Dn. Laurenti Kielline,
amice multum honorande.

Auguratus est olim emundæ naris homo, Thracicus senex, se Orphæi, Liniq; pressurum vestigia, eo quod in Pierio monte mater eum esset enixa. Nec id falsa spe aut inani eventu fecit. Cum ex obscura gente, etiam servitute miserrima, & Sejani crudelitate præpeditus, per optimas artes non tantum patriam suam reddidit multò illustriorem; Verum etiam apud principem tum in orbe populum, & rerum Dominum, nunquam intermoriturum acquisivit nomen. Eodem ego augurio, Dn. Kielline, videre videor præsentem illum diem quo te sufficienter omnibus bonis, per bonas honestasq; artes es probaturus, cujus letissimi diei Auroram ac ortum, hac præsentì egregia Disputatione, proprio elaborata Marte, luculenter ostendis. Deus tibi clementer adsit, ut feliciter ad illustrem provenias studiorum tuorum meridiem & clarissimam lucem, ut reliquum deinde ad vesperam tempus, Ecclesiæ Dei commodo, Patriæ usibus, Parentum & amicorum gaudio ac honori serviens, felix transigas.

Ita tibi gratulari voluit

M. HENRICUS SACKLINIUS
Bothn.